



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
دار الصحافة التابعة للكرسى الرسولي BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ

N. 0023

Martedì 07.01.2025

Pubblicazione: Immediata

Sommario:

◆ **Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio per la consacrazione della Chiesa del Battesimo di Gesù (Giordania)**

◆ **Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio per la consacrazione della Chiesa del Battesimo di Gesù (Giordania)**

Pubblichiamo di seguito la Lettera che il Santo Padre Francesco ha inviato al Legato Pontificio, il Segretario di Stato Card. Pietro Parolin, per la consacrazione della Chiesa del Battesimo di Gesù in Giordania, che avrà luogo il 10 gennaio 2025:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

PETRO S.R.E. Cardinali PAROLIN

Secretario Status

“Placuit tamen Deo homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret” (*Lumen gentium*, 9). Cum sane istud servitium populi Dei etiam in sacris aedibus persolvitur, praesertim in Eucharistiae celebratione, necesse est pulchritudinem domus Domini curare, quia beati sunt qui habitant in domo eius, ii in perpetuum laudabunt eum (cfr *Ps* 84,5).

Sicut novimus, his in diebus cleris et christifideles in Iordania grato laetoque animo consecrationem sollemnem ecclesiae Baptismatis Iesu apud flumen Iordanem exspectant, cuius aedificatio fere XV per annos curata est. Cum de eventu magni momenti agatur, Venerabilis Frater Ioannes Petrus Dal Toso, Archiepiscopus titulo Foratianensis, Nuntius Apostolicus in Regno Iordaniae, favente voto sacrorum Antistitum Ecclesiae localis auditaque sententia Suae Beatitudinis Petri Baptiste S.R.E. Card. Pizzaballa, O.F.M., Patriarchae Hierosolymitani Latinorum, enixe postulavit ut Legatus Pontificius ad augendam hanc sollemnitatem nominaretur, in qua interesse censemur fideles catholicos una cum aliis christianis et hominibus bonae voluntatis, utque ritui huius consecrationis novi templi praesideret, Nostras vices in Iordania gerendo necnon Nostram erga istum gregem dilectionem manifestando.

Nos, eiusmodi petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram dirigimus, qui munus Secretarii Status diligenter exerces, Teque hisce Litteris LEGATUM NOSTRUM nominamus ad consecrationem dictae ecclesiae, quae die X proximi mensis Ianuarii in memorato loco, magni momenti iis qui fidem christianam profitentur, perficietur.

Sollemni praesidebis Eucharistiae atque omnes adstantes sermone tuo ad diligentiores usque Christi imitationem cohortaberis: oportet enim ut novis viribus novoque studio peculiarem dilectionem Christi Ecclesiae et Evangelii demonstrent atque virtutibus solidae fidei, vitae spei et amoris erga proximos ardeant.

Rogamus etiam ut Nostram omnibus ibi congregatis sacris Pastoribus, presbyteris, religiosis viribus et mulieribus atque christifidelibus laicis salutationem afferas. Exoptamus denique ut verba Nostrae benevolentiae ad civiles auctoritates nec non aliarum religionum asseclas extendas et ad omnes qui Ecclesiae missionem, libertatis religiosae notionem, pacem in terris atque sincerum personae humanae bonum studiose fovent.

Missionem porro tuam comitetur valida intercessio Beatae Mariae Virginis, Matris Ecclesiae, necnon s. Joseph, Redemptoris Custodis, et s. Ioannis Baptiste. Benedictionem denique, caelestis gratiae auspicem atque propensae Nostrae voluntatis testem necnon signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, Tibi in primis impertimur, Venerabilis Frater Noster, eamque omnibusque celebrationis participibus nomine Nostro largiaris volumus.

Datum Romae, Laterani, die XXX mensis Decembris, anno MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS

[00028-LA.01] [Testo originale: Latino]

[B0023-XX.01]